

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

ger in suo Chronico Einsidlensi par. 3. allatis
testimonijs, narrantquè publicæ Sum-
morum Pontificum, aliorumquè Præla-
torum litteræ. Hæc igitur miracula nul-
latenus Anti-Christo & Pseudo-Christis,
sed ipsimet Christo Domino ac Deo at-
tribuenda, & ab ipsomet Heideggero ta-
liter recipienda forent, ut, quemadmo-
dum sanctus Augustinus lib. de Utilit. cre-
dend. cap. 17. & lib. contra Epist. fundamenti
cap. 4. dixit: *Se teneri in Ecclesiâ vinculis mira-
culorum*, sic & quondam oportuisset Ti-
guri nos miraculis in Sacello Einsidlensi
patris, in illâ, intra quam fuerunt, Ec-
clesiâ teneri, & hodie oporteret ad ean-
dem reverti.

DISSERTATIO XXIII.

*An possit certa verorum à falsis discer-
nendorum miraculorum tradi regula?*

Heideggere incit. S. 21. exigit à no-
bis Catholicis certam verorum
miraculorum regulam. Ego econtra
priusquam tibi respondeam, quero ex

I 3 te,

te, quamnam veræ fidei ac doctrinæ orthodoxæ discernendæ regulam statuas. Nam Tigurina Ecclesia rejicit Romanam Cathedram tanquam pestilentem, & Anti-Christianam. Sed idem olim fecerunt hæretici Donatistæ, uti videre est apud sanctum Augustinum *lib. 2. cap. 51. contra litt. Petilian.* Tigurini Ministri ajunt, suam Ecclesiam ultra mille & ducentos años fuisse invisibilem. Sed idem docuisse olim Donatistas Hæreticos, testatur Divus Augustinus *cap. 12. de Unit. Eccles. & Conc. 2. in Psal. 101.* Tigurina Ecclesia refutat verbum Dei non scriptum. Sed idem fecerunt olim Ariani & Pelagiani, teste Divo Augustino *lib. 1. cap. 1. contra Maxim. & cap. 30. de Nat. & grat.* Tigurina Ecclesia reprobatur distinctionem Presbyterij & Episcopatus. Sed idem teste Divo Augustino *hæres. 53.* olim fecit Aerius hæreticus. Tigurina Ecclesia repudiavit jejunium Quadragesimale, nec non preces & oblationes pro defunctis. Quod ipsum fecisse Aerium, testatur S. Augu-

Augu-

Augustinus *cit. hares. 53.* Ecclesia Tigurina negat, Baptismum ad salutem esse necessarium. Hoc ipsum verò erat olim dogma hæreticum Pelagianorum, teste S. Augustino *hares. 88. Epist. 28. & serm. 14. de verb. Apost.* Tigurina Ecclesia negat, Baptismo expiari aliquod parvulorum peccatum, ac parvulos per Baptismum ac Exorcismum erui à potestate diaboli. At hanc ipsam fuisse Pelagianorum hæresin, testatur Divus Augustinus *cit. hares. 88. & lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 20.* Tigurina Ecclesia totis viribus invehitur contra Missæ sacrificium. At hoc ipsum à Manichæis hæreticis præstitum, refutat S. Augustinus *lib. 20. contra Faustum. cap. 8.* Ecclesia Tigurina profitetur, hominem solâ fide justificari. Hæc ipsa verò, teste S. Augustino *hares. 74.* fuit opinio Eunomij hæretici. Tigurina Ecclesia negat hominis liberum arbitrium. At istam Manichæorum hæresin refutatam invenies apud S. Augustinum *lib. 2. cap. 3. de Act. cum Felice Manich.* Ecclesia Tiguri-

gurina eliminavit vitam monasticam. Quem Manichæismū adversus Jovinianum reprobatur S. Augustinus *lib. 1. cap. 31. de morib. Cath. Eccles.* Tigurina Ecclesia abolevit sacrarum imaginum usum. Quem adversus Vigilantium hæresiar- cham defendunt S. Hieronymus *Epist. ad Ripar. advers. Vigilant.* & S. Augustinus *cap. 73. de Eccles. dogmat.* Ecclesia Tigurina Sanctorum Reliquias, earumq; cultum, nec non Sanctorum invocationem reprobatur. Contra quod nituntur S. Hieronymus & Augustinus *supra citati.* En igitur Heideggere, quā in multis, imō & alijs dogmatibus Ecclesia Tigurina consentiat cum hæreticis antiquis damnatis; e contra dissentiat à sanctis Patribus, præsertim Augustino, quem tamen reformati Doctores tanti censent faciendum, ut Oecolampadius *ad Melancthonem,* Calvinus *Instit. lib. 4. cap. 14. sect. 26.* & alij æstiment tanquam in numero Patrum præstantissimum, fidelissimumque doctrinæ orthodoxæ testem, & instar omnium

num Patrum esse nobis posse. Merito igitur à te requiro certam doctrinæ orthodoxæ intra Tigurinam Ecclesiam dignoscendæ regulam.

II. Interea tamen audiamus istum Tigurinum Doctorem, quid de certâ verorum miraculorum regulâ disserat. Qui miracula, inquit, jactant, nō possunt ullam demonstrare regulam certam verorum miraculorum à falsis discernendorum. Vel enim regula ea erit judicium solorum sensuum, vel signa in patrate conspicua, vel Scriptura, vel Papa. Non sensuum judicium; tum quia Christus ei hanc discretionem nusquam tribuit: tum quia illud falli potest ludicris Agyrtharum actionibus, ac multo magis sathanicis illusionibus. Non signa in patrate conspicua, quia incertum est, sitne is, qui patrat, verè sanctus, an impostor. Non scriptura, quia præfensa miracula eduntur ad confirmationem falsæ doctrinæ. Non denique Papa, ejusque approbatio; tum quia is facultatem discernendi mi-

I 5 racu-

racula à Deo non accepit: tum quia in rebus facti errare eum posse, plerumq; fatentur: tum denique quia miracula falsi convicta, calculo approbationis suæ sanxisse legitur.

III. Heideggere, quid sibi vult, quòd Christus *Ioan. 10. v. 37. & 38.* dixerit: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio: Et, Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, quia Pater in me, & ego in Patre.* Nunquid iudicio sensuum cognoscere Iudæi poterant ea, quæ Christus fecerat, fuisse opera Patris? Nunquid majorem de patrante, quàm de ipsismet miraculis evidentiam habebant illi, qui jubebantur operibus ipsis credere, si ipsorum patratori credere nollent? Unde ergo habebant certam regulam, ex quâ credere debebant ipsismet operibus tanquàm à Deo factis, & consequenter ipsimet etiam Christo, tanquàm eorum patratori? Hanc regulam Christus Dominus clarè insinuavit ex eo, quòd faceret opera Patris, talia nimirum, quæ

Divi-

Divinitatis essent propria, nec adeò cau-
 farum naturalium viribus, sed Divinâ
 duntaxat virtute possibile. In quem
 sensum Christus etiam *Ioan.* 15. asseruit:
*Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fe-
 cit, peccatum non haberent.* Per hoc innuens,
 ex eo opera miraculosa mereri vim Di-
 vinæ attestationis, quòd nemo, qui non
 sit Deus, ea facere possit. Eiusmodi ve-
 rò opus utique fuit, quando capite à re-
 liquis membris amputato, tamdiu fuit
 cujusdam nobilis Alsatæ anima per Di-
 vinam virtutem servata, quousque sa-
 cerdoti prætereunti fecerit confessio-
 nem, veluti Anno 1338. factum ex anti-
 quis monumentis narrat Paulus Bet-
 schart in *Divâ Thaumaturgâ Einsidlensi*, &
 Conradus Hunger. Et quia dæmonium
 non potest oculos cæcorum aperire *Ioan.*
 20. v. 21. vel oculo evulso, facere, ut no-
 vus succrescat, visusque restituatur, uti-
 que solius Dei, mediantibus Divæ Vir-
 ginis Einsidlensis precibus, impetratum
 opus miraculosum erat id, quod Curia

Rhætorum Anno 1641. factum, debite-
 què probatum, & ab ipsismet adversari-
 js in admiratione habitum, refert Con-
 radus Hunger *Chron. Einsidl. 3. par. cap. 10.*
n. 7. Quia denique Iudæi videntes *Act. 3.*
 gressum claudo restitutum, ex tali non
 nisi Divinæ virtutis opere rapiebantur
 in stuporem & extasin, non minus Divi-
 næ virtuti adscribendum est, quod circa
 puellam utroque pede claudam Anno
 1580. per sanctissimam Deiparam Ein-
 sidlensem contigisse ex antiquioribus
 monumentis legitime probatum refert
 Paulus Betschart in *D. Thavmaturgâ Einsid-
 lensi c. 10. n. 2.* & Conradus Hunger *cit. 3. par.*
Chron. cap. 13. n. 2. Plura ejusmodi miracu-
 la videre licet in præallegatis libellis.
 Vides igitur, ipsas sacras litteras submi-
 nistrare modum & regulam dignoscen-
 di vera miracula, quibus fides in Deum
 & gignatur, & nutriatur, & roboretur.
 Ethinc etiam evanescit, quod Heideg-
 gerus *cit. S. 23. arg. 7.* non tam probat,
 quàm juxta morem suum ex innatâ suâ
 licen-

licentiâ negat, ex sacro Einsidlensi Sacello unquam edita fuisse talia miracula, quæ à solo Deo fieri potuisse, manifestum fuerit ex ipsâ agendi ratione.

DISSERTATIO XXIV.

An ex eo, quòd miracula sint infidelibus in signum data, Heideggerus efficaciter refutet Divæ Virginis Einsidlensis miracula?

I. **D**Octor iste Tigurinus cit. §. 23. arg. 3. causam suam ita prosequitur. Donum linguarum, aliaquè ejusmodi miracula in signum data esse infidelibus, non credentibus, docet Paulus 1. Corinth. 16. v. 22. Cur igitur Deipara miracula patrat apud eos dantaxat, qui sibi solis axioma credentium arrogat?

II. Benè dicis Heideggere, miracula passivè esse data infidelibus, quamvis activè sint data fidelibus, ita ut donum miraculorum Deus non soleat impertiri nisi illis, quibus, cum veram teneant fidem